

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

Aug. de do-
ctri. Christ.
lib. 4. c. 30

Simpliciores ac minus eruditi concionatores, festis quibusque diebus concione in nomine sanctissime trinitatis cum imprecatione gratiæ dei (nempe vt dominus suum spiritum verbo addere dignetur) cepta, initio ambas lectiones, quæ Epistola ac Euangelium missæ eius diei appellatur, ad verbum denarrabunt. Deinde post imploratam diuini numinis clementiam, regrediantur ad vtriusque lectionis breuem dilucidationem, locos aliquot communes ex vtraque diligentes, quibus populus ad vitæ pietatem charitatemque dei ac proximi inflammetur. Denuntiabunt quoque, quid ecclesia dei eo die potissimum deum oret ac precetur. Quod in precationibus seu Collectis, quæ post canticum Kyrieleyson aut Gloria in excelsis dicuntur, continetur, ac hortantur populum, vt idem pariter interea dum sacra aguntur, deum oret, si non verbotenus, mente tamen.

Sanctorum historiæ quatenus attingendæ. Cap. XXIII.

Sanctorum historijs ne nimis diu immorentur, quin potior pars (vti iam diximus) Euangelio detur & Epistolæ explicandis. Quod si fabulosa videbitur historia, ne attingat quidem, si veri similis, leniter, eaque decerpatur quæ imitanda videantur. Miracula quoque ne impudètius iactent, nisi quæ scripturis prædita, aut a non leuibus scriptoribus summa cum historiæ fide tradita fuerint.

Allegoriæ quomodo explicandæ. Cap. XXIII.

Si quas allegorias aut sensus scripturæ reconditiores, spiritualia spiritualibus conciferent adferre velint has ex receptis ecclesiæ doctoribus, veluti Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, ac similibus comprobatis authoribus desument.

Quomodo finiendâ concio. Cap. XXV.

Vbi ad calcem concionis deuentum erit, breui epilogo, quo argumentum ac capita totius concionis renarrat, vtatur. Id enim ad captum ac fulciendam memoriam auditorum plurimum fecerit.

Quid recitandum finita concione. Cap. XXVI.

Debet quoque finita concione, decalogus, ac symbolum fidei & succincte & dextere recitari. Illa quoque exemologes ac publica peccatorum confessio cum imploratione misericordiæ dei, pure ac distincte pronuntari ac moneri populus, vt eisdem verbis sacerdotem pronuntiantem subsequatur, ac deinde recenseri conciliatoria imprecatio remissionis peccatorum, vt populus deiecto, cõtrito, humiliato animo ac toto corde cum presbytero accingat ac mysterium redemptionis suæ (quod in altari tractatur) contemplandum, fructumque dominicæ passionis, quæ in altaris mysterio commemoratur, representaturque participandum.

Psal. 50

Quomodo finita concione populus excitandus ad orandum pro defunctis. Cap. XXVII.

Cum